

## Anhang

### *Statuten des Kollegiums der päpstlichen Kursoren.*

*Solignac, 1306 April 25*

*Orig. Pergament, 610 × 390 mm. Lübeck, Archiv der Hansestadt, Sacra C Nr. 17 a.*

*Notula. Schreiber- und sonstige Vermerke fehlen. Inhaltsangabe am oberen Rand (18. Jh.): Statuta et ordinationes cursorum Curiae Romanae et eorum Magistri, acta in Castro Sollemahci Lemovicensis (Limoges) Dioceseos, d. 25. April. 1306.*

In dei nomine amen. Nos Iohannes de Tuderto tunc tempore magister cursorum infrascriptorum, Albertus Gallicus, Boninus de Senis, Angelus de Fulgineo, Blasius de Camerino, Cicus Bassus de Arimino, Bartolomutius de Suana, Iohannes de Sigestro, Vivianus de Monteferrato, Helias de Ponte, Guilielmus de Ausuna, Iacobinus de Cumis, Nicolaus de Senis, Rainaldus de Mediolano, Petrus de Spoleto, Tellutius de Camerino, Iohannes de Turino, Matza de Perusio, Iohannes de Sancto Amonte, domini pape cursores, ad honorem et reverentiam sanctissimi patris domini nostri summi pontificis et sui camerarii<sup>54</sup>, ut servire cum maiori sollicitudine et studio possimus et servitio que ipsis dominis facere nos oportet stilo debito non fraudentur, unanimiter et concorditer statuimus et ordinamus et statutis et ordinationibus infrascriptis alios cursores ipsius domini pape, qui presentes non sunt, volumus alligari.

1. Inprimis statuimus et ordinamus quod quicumque nostrum cursorum non erit ad missam que celebratur in palatio domini pape in mane, solvat .IIII. denarios monete currentis in loco ubi curia Romana erit nisi habuerit iustam causam.

2. Item statuimus et ordinamus quod illi cursores qui custodiunt cameram camerarii domini pape habent omnes citationes quas dominus camerarius vel eius auditor mandaverit illa die qua custodiunt cameram eandem comuniter, et si quis autem contrafecerit, restituat lucrum quod perciperet de citationibus predictis et solvat .II. solidos in societate cursorum, et si quis cursor non custodierit cameram predictam sicut oportet, solvat unum venetum de argento.

<sup>54</sup>) Arnaud de Canteloup, seit 1305 Kardinal, päpstlicher Kämmerer von 1305 bis 1307.